358, 6.

Library of the Museum

OF

COMPARATIVE ZOÖLOGY,

AT HARVARD COLLEGE, CAMBRIDGE, MASS.

Founded by private subscription, in 1861.

DR. L. DE KONINCK'S LIBRARY.

No. 1412.

Cet ouvrage est très rare. Il a paru en 1724, selon Gronovius et Gmelin.

L. dH.

CAPUT MEDUSÆ

UTPOTE NOVUM

DILUVII UNIVERSALIS

MONUMENTUM,

DETECTUM

IN

AGRO

WÜRTEMBERGICO

ET

BREVI DISSERTATIUNCULA

EPISTOLARI

EXPOSITUM,

AB

EBERH. FRIDER. HIEMERO,

SS. THEOL. DOCTORE,

Sereniſſimo Würtembergiæ & Tecciæ Duci

à Concionibus Aulicis, Confeſſionibus Sacris &

Conſiliis Conſiſtor.

STUTTGARDIÆ,

Literis CHRISTIANI THEOPHILI ROESSLINI,

Aulæ Curiæque Typogr.

[1724.]

INCLYTÆ
SOCIETATIS REGIÆ
PRUSSICÆ
BEROLINI AD SCIENTIAS
PROMOVENDAS
INSTITUTÆ
REVERENDISSIMO ILLUSTRISSIMO
EXCELLENTISSIMO
DOMINO
PROTECTORI,

EXCELLENTISSIMO PARITER

DOMINO

PRAESIDI

ET

RELIQUIS EJUSDEM

MEMBRIS

UNDIQUAQUE CELEBERRIMIS

PAGELLAS HASCE

EA QUA PAR EST ANIMI DEVOTIONE

ATQUE OBSERVANTIA

CONSECRAT

AUTOR.

QUi paucas haſce paginas oculis tuis perluſtras, Lector Ben. ante omnia forſitan, quod facilè conjicio, intra Te ipſum quæris, quid ad ſcrutationem lapidum figuratorum vel impulerit me, vel anſam mihi dederit, & quą proinde via ad propiorem præſtantiſſimi ſtudii Lithologici conſiderationem ductus fuerim, ſcire deſideras. Cui juſto Tuo deſiderio ut ſatisfaciam, omnino par eſt, paucis itaque habe.

Cum muneri Paſtorali primùm ad-

moverer, oppidum (*Roſenfeld*) unà cum Collega Diacono curandum ſortitus fui. Loci parvitas, etſi laborum atque onerum non parum ſecum veheret, quandoquidem cura animarum nec levis eſt, nec eſſe poteſt, tantum mihi tamen indulgebat otii, quantum ad tractanda, præter ſtudium primarium officiumque ordinarium, *curioſa* quoque ſufficeret. Nulla autem curioſitas, uti ſapienter nonnemo judicat, homine chriſtiano magis digna contemplatione rerum naturalium: hæc, ſi Theologiam demas, omnium ſcientiarum præſtantiſſima eſt, nulla latior, excellentior, placidior, utilior, imò auſim dicere, divinior. Propiorem vero occaſionem mihi præbebat, quem poſcente ita valetudine, quotannis ſuſcipere neceſſum habui, acidularum uſus, qui cùm liberiorem aërem crebrasque excurſiones ſubinde requirat, inde mihi ſubnaſcebatur opportunitas, montes, qui *Roſenfeldam* circumjacent, totumque tractum montanum, vulgo dictum Heuberg/ frequenter ſatis viſitandi, & ingentem lapidum figuratorum numerum, tum quidem temporis caſu ſaltem, reperiendi.

Sti-

Stimulabat hoc curioſitatem meam, ut & curatius rem penſitarem, & peculiarem collectionem mea ſponte tum inſtituerem, nec tum quidem multa, ſed aliqua tamen rarioris notæ ſpecimina & exemplaria intra ſeptennii hujus decurſum heîc loci colligerem, quorum in numero eſt peculiare quoddam cornu Ammonis, cujus effigiem alio tempore Lectoris cupidi oculis & ulteriori meditationi ſiſtere animus mihi eſt. Quamvis autem ſubſequenti tempore in hoc ipſo collectionis meæ curſu aliquantulum impeditus mihi videbar, quippe cui ad obeundum officium Superattendentis *Diœceſeos Wildbadenſis* vocato, iſtiusmodi montes ipſi perluſtrare non amplius licuit, ab amicis tamen, quibus & hujus negotii curam interdum tradidi, & ſumtus ad id neceſſarios exſolvi, aliquando ſubinde facta fuit acceſſio.

Maximè verò locupletatam vidi ſuppellectilem meam lapideam intra quinquennii hujus, quod per DEI gratiam *Stuttgardiæ* heîc dego, ſpatium. Etenim ab exteris quàm maximè varia hujus generis munera nanciſci mihi contigit, quibus

bus ea præcipuè ſpecimina annumero, quæ à Celeb. D. *Scheuchzero*, ſolertiſſimo rerum naturalium indagatore, accepiſſe me memini, cujus & diligentiam & judicii felicitatem in hoc ſtudiorum genere & hactenus abunde admiratus fui, & ſatis admirari nequeo, cui & totus Eruditorum orbis in enodandis multis difficultatibus, in hoc ſtudiorum genere non infrequentibus, ſummas debet habetque gratias.

Sed nec Patriæ meæ, at quam dulcis! obliviſci me fas eſt, quippe quæ tales hinc inde amicos mihi peperit, quorum pariter facilitati, ſolertiæ atque promtitudini haud ſane pauca me debere, publicè hic teſtatum facio.

Ipſa enim Wirtembergia, quæ alias Regio eſt fertiliſſima, habet ſuos montes, colles, valles, amnes, agros lapidibus, uti vulgaribus magna in copia, ita etiam figuratis hic ibi refertos. Rectiſſimè proinde *Mercator*: ubi Neccarus, ait, in campeſtria diffunditur, tota felix, to-„ ta beata eſt: undique Bacchi colles, her-„ bida prata, fertiles agri, copioſus ubique„ vini, frumenti pomorumque proven-„

tus

tus. Regio itaque fertiliſſima eſt, ita „
ut cum optima in Germania parte cer- „
tare queat. Ea autem pars, quæ con- „
finis Hercyniæ, tum quæ Suevicis Alpi- „
bus eſt contermina, ſubaſpera & vitibus „
inimica, ager in alpibus lapidoſus. Ar- „
genti quoque fodinas hic Ducatus ha- „
bet haut procul à *Wiltbergo*, & dicitur „
Bulachium. Oppidum totum æris fodi- „
nis ſuperſtructum producit & ferrum & „
æs. Reperiuntur etiam lapides elegan- „
tibus & variis coloribus, ut plurimùm „
tamen cœruleo diſtincti, ut videatur et- „
iam natura molita eſſe hoc loco gem- „
mas producere. „ Huc usque *Mercator*.
Quas ergo Patriæ meæ grates me debere ſupra jam profeſſus ſum, easdem hic repeto & in perpetuum animi mei teſtimonium lubens appono. Præprimis autem inter multa ſoli loca minimè omnium obliviſcendum mihi duco *Cœnobium Blabyrenſe*, & primus quidem in eo nominandus venit *Sum̃e Reverend. Dominus Abbas Weiſſenſee*, cujus egregius in me favor in exornando Lithophylacio meo pulcherrimis *fungitis* orbicularibus, oris intus reflexis, pileolo lato, aſtroitis, ſtellis maxi-

mis, alta mente repoſtus manebit. Aliorum vel locorum in hoc genere abundantiam, vel amicorum induſtriam pluribus commemorare jam non attinet. Fœcundiſſima vera omnium atque præſtantiſſima regio ea mihi videtur eſſe, quæ milliaris circiter ſpatio *balneum Bollenſe* circumjacet, lapidum tam figuratorum varii generis, quam fiſſilium in ſpecie magna copia abundans. Reperitur etiam prope *Ombdam* pagum fodina fiſſilium non mediocris profunditatis & latitudinis, in qua hæc ipſa, cujus effigiem in fronte vidiſti, tabula fuit reperta. Jam vero facile quidem intelligo, multa forte eaque longe rariora ſpecimina in aliis hinc inde Muſeis aſſervari; cum tamen a Viris eruditis, quibus & agrum Wirtembergicum peragrare placuit, & collectanea mea tam in ſtudio Numismatico, quam Lithologico, perluſtrare haud grave fuit, eo fuerim ſtimulatus, ut tabulam hanc ſciſſilem æri inſculpendam curarem, facilem huic admonitioni me exhibiturus pertenues meas meditationes, quidve ex ejus conſideratione in ſtudio Lithologico profecerim, adjicere nullus dubitavi.

Et hic quidem primum, quod a me vel deſiderari vel poſtulari poſſit, id eſſe facile video, ut hanc ipſam Tabulam vel a loco, qui hoc Cimelium mihi peperit, vel ab inventionis occaſione, vel aliis circumſtantiis ac proprietatibus, longitudine, latitudine, figura, & ſi quid præter hæc conſiderari ſolet, prolixiore ſtylo deſcribam. Cum vero ea vix reperta Celeberrimum rerum naturalium Scrutatorem gaudii mei ocyus participem fecerim, en literas utrinque hac de re reciprocatas, quas nec ſupervacuas nec inutiles fore arbitror, & quarum altera, prior ſcilicet, quæ tum primum de hoc invento mentem meam ſubierint cogitationes, abunde declarabit.

VIRO

Excellentiſſimo, rerumque naturalium Scrutatori accuratiſſimo, Dn.

JOH. JAC. SCHEUCHZERO,

Medicinæ Doctori & Matheſeos Profeſſori apud Tigurinos Celeberrimo,

Felicitatem exoptatiſſimam.

E. F. H.

NOſti, VIR Excellentisſime, quam varia a variis de lapidibus figuratis vel diſputen-

 tur,

tur, vel conjiciantur, utpote quorum curatior diſquiſitio vel diligentiſſimos rerum naturalium Scrutatores ſubinde exercuit, nonnullis quidem multas eorum ſpecies ad oſſicula ſtellarum marinarum *referentibus, aliis autem in re obſcuriore ſubdubitantibus. Cujus quidem incertitudinis ratio ea reddi poſſe videtur, quod vel ſtellæ iſtiusmodi marinæ in profundo maris deliteſcentes oculis Zoographorum obviæ non fuerint, vel quod ſaltem particulæ iſtarum minutæ,* aſteriæ *ſcil. &* Entrochi *&c. ſeparatim, non autem integri rami & brachia ex ejusmodi entrochis compoſita hactenus fuerint inventa.*

Fateor, & me unum ex iſtis tam curioſis, quam infelicibus extitiſſe, cui, quantumvis ſollicite & anxie inquirenti, lapides tamen iſtiusmodi ad regnum animale referre, fuit adeo difficile, ut mihi potius varias iſtiusmodi figuras intuenti attenteque conſideranti perpetuum animo infixum hæſerit dubium. Nunc autem tabula quadam fisſili haud mediocris magnitudinis felicisſime a me inventa ſtudioque meo effoſſa, mihi quidem ænigma hoc pene ſolutum, reique antea obſcuræ haud exigua lux affuſa eſſe videtur, quæ perſuaſio quam certa ſit, quam ſolida, maturius penes eruditiores velim eſſe judicium. Complectitur autem Ea, cujus delineationem qualemcunque hac

ipſa occaſione TIBI, VIR Excellentiſſime, communico, in longitudine pedes quatuor, in latitudine tres cum 4. cubitis, multis inſuper iisque diſtinctisſimis ramis & brachiis majoribus totam tabulam longitudine adæquantibus, minoribusque imo minutisſimis egregie & ad admirationem uſque picta & exornata. Brachia ſive rami majores conſtant ex meris entrochis perpetua quadam articulatione ſibi invicem unitis, ita quidem ut ex uno ramo alii proveniant, bini, trini & plures, & deſinant denique in congeriem innumerorum minorum & minutisſimorum ramorum ſubinde graciliorum floris cujusdam effigiem egregie præſentantium. Fruſtulo a majore quodam ramo decerpto & tepida aqua abluto, entrochus comparuit Pentagonus, coloris cinerei, duritiei inſignis, materiæ ſeleniticæ, in utroque ſuo plano quinque lineolis notatus. Reliqui rami minoris & minimæ magnitudinis in figuram, uti dixi, floris abeuntes non aliter atque ipſa animalculi cujusdam osſicula articulatione ſua proxime unita apparent. Hiſce omnibus diligenter & attente conſideratis maxima rei lux affundi poſſe videbatur, ſi lapis iſte cum ipſo Capite Meduſæ a Rumphio *deſcripto compararetur. Inſtituta itaque collatio-*

ne, perfecta omni ex parte ſimilitudo fuit deprehenſa, maxime quoad pedes Capitis Meduſæ, de quibus Rumphius *refert, quod innumeri conſpiciantur peduſculi, ſuos diſtincte ſervantes articulos, in congerie fibras floris cujusdam repræſentantes, quibus beſtia hæc, ſive monſtrum horrendum, ingens tanquam pedibus incedat, licet tam deformibus, ut congeriem potius millepedum & anguiculorum eſſe dixeris; quas figuras ad unam omnes in lapide noſtro fisſili accuratisſime, etiam quoad minutisſima, obſervare licuit. De capite hujus beſtiæ, & quonam in loco lapidis ſeu laminæ meæ illud ſedem ſuam habeat, certi nihil pronuntiare auſim, præſertim cum ipſe* Rumphius *aſſerat, quod ex ramis majoribus eorumque juncturis efficiatur & peculiare corpus haud conſtituat.*

Manet tamen nihilominus ſalva Collatio inter Caput Meduſæ & lapidem noſtrum fiſſilem meo quidem judicio inſtituta: Quid enim aliud eſt in rerum natura, quod huc quadret, niſi ipſa figura monſtri iſtius marini a Rumphio *deſcripti? Qua ratione autem a mari ad nos pervenerit, (repertus enim eſt lapis noſter in quadam Ducatus Wirtembergici fodina, ex qua tegulæ pro ædibus* (die Dächer mit Schiffer an ſtat Ziegel zu decken/) *eruuntur,) nec Oedipus facile divinabit; alio certe fato fieri non potuit, niſi per diluvium.*

Hoc

Hæc meletemata, quamvis non omni prorſus fundamento carere mihi videantur, tam explorata tamen non ſunt, ut eis pertinaciter adhærere in animo habeam, ultro potius omnibus iis renuntiaturus quæ Virorum præſtantisſimorum ſuffragiis non merentur ſuffulciri. Quapropter nihil in votis magis habeo, quam ut Tuum, VIR Excellentisſime, calculum conjecturis meis vel adjicias, ulterioremque explicationem, ſiquidem non erraverim, affundas, vel me pro ea, qua polles in rebus naturalibus, perſpicacia, ſi credulus nimis fuero, ab errore meo liberes.

Hanc menti meæ tum inſediſſe ſententiam, vel opinionem potius, quam primum novum hoſpitem intentiore contemplabar oculo, probe adhucdum memini, & ingenue aſſerere audeo. Quam prope veritatem attigerim, aut quibus tandem argumentis nixus univerſalem pro hac opinione aſſenſum vel adprobationem ſperare audeam, id & infra plenius exponetur, & ex reſponſoria Celeberrimi D: *Scheuchzeri* epiſtola aliquo modo diſpaleſcet. Ubi ſane fateri cogor, idem mihi accidiſſe, quod viatori interdum ſolet, qui ſub diluculum certa quidem via, ſed incerto tamen atque ſub-

du-

dubitante greſſu timide progrediens aliquem tandem invenit, qui viæ magis gnarus & recto tramite eum hactenus iviſſe docet, & ſtrenue pergere jubet. Paria mihi accidiſſe, ex ipſis his, quas annexas vides, literis conſtare poteſt, quippe qui per ſat longum temporis ſpatium recto quidem tramite, ſed vacillante paſſu decurrens aliquem tandem nactus ſum, qui timiditati meæ conſuluit, & me non recte tantum ambulaſſe edocuit, ſed &, ut ipſe id reſciſcerem, effecit. Tuo itaque, L. B. conſpectui expoſitam hic vides Viri Celeberrimi epiſtolam, plenius forſitan declaraturam, quænam & de ipſo lapide reperto, & de meis, quas tum primum animum ſubire paſſus ſum, cogitationibus perſpicaciſſimo Viro ſteterit ſententia.

Omiſſo Titulo.

DOMINO

EBERH. FRIDER. HIEMER,

S. Theol. Doctori Celeberrimo,

Seren. Wirtemb. Ducis Conſiliario, & Concionatori Aulico

S. P. D.

JOH. JACOBUS SCHEUCHZER.

EO vivimus ſeculo, quo veritates in omni ſcientiarum genere plurimæ e profundo veluti

luti protrahuntur puteo. Manus jungit amicas Philoſophia Religioni, hæc illi. Sit, ut absque ambagibus ad rem propius accedam, exemplo inundationis illius fatalis hiſtoria, quam tradit ſcriptura, ſuffulcit natura. Nec forte conſideratione Tua, Reverendiſſime Præſul, indignum, quod ubique terrarum reliquiæ Diluvii & maximo ſtudio quærantur, & inveniantur, non a nobis duntaxat, qui hiſtoriæ naturali operam navamus ex profeſſo, ſed & a Principibus, Politicis, Theologis. Quod veritas hæc, maximi ſane pro hiſtoria telluris momenti haud ſuperet viliſſimi hominis captum: quod haud ignota ſint νηπίοις, *quæ ſcire nolunt, & refutare haud poſſunt* σοφοί. *Fatendum equidem, in Reliquiarum hiſtoria inter innumera indubia, & originalibus ſuis ad amuſſim congrua occurrere aliquando, quæ, quia forte pelagia, nullibi habent ſeu in littoribus, ſeu in muſeis ſua analoga.*

In hac claſſe numeravi hactenus pleroſque Entrochos & Aſterias, quæ quidem figurata retuli ad ſtellas marinas, ſed defuit mihi a mari ſejunctisſimo collatio cum hiſce. Sub ſolo autem aſteriarum & entrochorum titulo ſpecies numero 40. in Lexico meo Diluviano, quarum omnium fere marina deſunt exemplaria. Luſtris, imo integro forte opus eſt ſeculo pro redigendis anoma-

 lis

lis ad ſuas claſſes. Accolis maris deficiunt foſſilia mediterranea, ſed & rari admodum ſunt labores anatomiæ corporum marinorum, imo ſceletorum ipſorum, inſumendi: nobis, qui mediam incolimus continentem, deſunt marina. Sunt & ipſa ſæpe foſſilia manca, partibus ſuis mutilata, nonniſi in umbra reſidua, ex qua qui cito hariolatur, facile præjudicat & ſibi & veritati. Aſterias habuimus hactenus vel ſingulares, a ſociis ſejunctos, vel in eadem linea contiguos, paucisſimos ramoſos: in Anglicis ſuperſunt pasſim ramulorum truncis ſuis inſertorum veſtigia. Et tamen in ſcriptis meis, nominatim Oryctographia *p.* 322. *conjecturam feci de* Capite Meduſæ. *Et felicem Te, rari Cimelii, cujus iconem affabre confectam mecum benevole communicare dignatus es, poſſeſſorem! qui Te primo, & me, aliosque rerum naturalium ſcrutatores vel dubiis liberas, vel in conjectura propius ad veritatem ducenda firmas! Id Meduſæ Caput, cujus effigiem dat* Rumphii *commentator, depictum eſt ex muſeo* Aqueti: *primum Rumphii genus cum foſſili Tuo convenit, Te etiam obſervante, ramoſis extremitatibus floris adinſtar expanſis.* Van onderen ziet men in tweereyen ontelbaare kleene witte

te voeties ſyn gekartelt, met een geel nopie vooraan, als of het draadies van een Bloem waren; waar mede dit Beeſt zynen gang verrigt, zoo yſſelyk van gedaante, dat men voor een klomp van duyzendbeen of kleene ſlangeties zoude aan zien. *Sed propius, pace Tua, ad monadicum Tuum foſſile accedere, mihi quidem, videtur* Caput Meduſæ *ſecundum, quod prælongos habet ramos, unos ex eodem puncto aliis longiores aliisve transverſis unitos, mire invicem implexos*, die verwiſſelt tegens malkander ſtaan, en dezelve eindelyk weder in andere dwars draaties. *Sed dolendum, deeſſe utriusque hujus monſtri marini icones, ut non omnino certi eſſe poſſimus, an ad hanc illamve ſpeciem præciſe redigi debeat hoc* ὀρυκτὸν, *vel ad aliam adhuc ignotam. Ex icone Tua collata cum deſcriptione video, illam eſſe hac longe minorem; deſiderarem quam maxime fragmentum ſaltem delineatum nativa magnitudine, quoniam de pedalibus*

& ſesquipedalibus ramis indiviſis loqui video Rumphium, imo vero pro Muſeo meo Diluviano, vel, patere Μεγαφροῦντα, *Theſauro, cujus ideam mitto, exoptarem quam maxime fruſtum, ſi haberi poſſit, minoris ſaltem moduli, cujus acquiſitionem, imo & rariſſimi Tui foſſilis typum ære ſculpendum Excellentiæ Tuæ commendo. Id autem crucem figit quam maxime, quomodo Meduſæa hæc capita vel ex Caſpio, vel ex Indico mari in haſce noſtras oras fuerint translata? Obſervaſti haud dubie, Vir perſpicaciſſime, in meis Oryctographicis conjecturam, fuiſſe Helvetiam (Rhætia excepta & Valleſia) una cum Ducatu Veſtro Wirtembergico, & forte magna Germaniæ parte, ante diluvium mare, in cujus fundo & cornua Ammonis, & ſtellæ marinæ, Echini & teſtacea fuere, quæ hodie vel nunquam vel rariſſime littora ſalutant, neque tempeſtatibus furentiſſimis locis ſuis natalibus amoveri ſe patiuntur. De conchyliis levioribus, plantis, animantium cadaveribus præſumere facile licet, potuiſſe ex remotis etiam oris transferri, ſed de gravioribus conchis, quæ roſtra habent adunca, oſtreis, tardigradis ſtellis, Echinis non item. Conjectura eſt, fateor, non veritas, ſed quæ refutari nequit, niſi ex primi orbis, ſi quæ prodibit aliquando, mappa.*

Ha-

Habes hic, B. L. ea, quæ inter utrumque noſtrûm de hoc argumento fuere reciprocata. Quæ dum ponimus, eo minus ſuſpicari ſubit, ægre laturum eſſe VIRUM Celeberr. quod ſuas Ipſiusmet literas publicæ luci expoſitas a nobis heic videt, quo magis perſuaſi fuimus, tanto plus fidei effecturas eſſe in Lectorum animis tenues noſtras cogitationes, quo magis ipſius auctoritate, quæ in hoc genere magna eſſe debet, fuerint ſuffultæ, quas ipſas in ſequentibus breviter aperire animus nunc eſt.

Et primo quidem nunquam impetrare a nobis potuimus, ut Cimelium noſtrum lapideum pro mero luſu naturæ haberemus, cujus quippe nec definitionem proferre, nec, quid ſit, ſufficienter nos edocere ipſi hujus ſententiæ acerrimi propugnatores hactenus potuerunt, & quem proinde nos potius pro luſu phantaſiæ & imaginationis habuimus & habere inpoſterum malumus, quam vaga ejusmodi nomenclatione talia ſtatuere atque ſcribere, quæ ſapientisſimo Naturæ Creatori & Conſervatori, quin & ipſi Naturæ vel tantillum detrahere apta

forent. Equidem non nos fugit, Celeberrimum in Academia Altorffina Medicinæ Doctorem & Profeſſorem Joh. Jac. Bajerum in *Oryctographia* ſua *Norica* luſui naturæ peculiarem inter lapides figuratos claſſem aſſignaſſe, en! propria ipſius verba, quæ huc tranſcribere non piguit: Quando luſum naturæ appello, indeque figuratos quosdam lapides oriri ſtatuo, neutiquam exiſtimandum eſt, quaſi cum vulgo ſuperſtitioſo mihi concipiam agens aliquod, a DEO diſtinctum in hoc univerſo, præſertim globo terraqueo creaturas corporeas dirigens atque modificans, interdum etiam in iisdem otioſe ludens, & abſurda veluti monſtraque ſæpius producens, quale quid ſeorſim circa lapidum efformationem cernere liceret: verum hoc ſolum intendo, ut liberum mihi ſit, vocabulo luſus naturæ idem, quod alii ſolent, profiteri, nempe ignorantiam genuinæ origiginis & cauſæ (hoc quidem loco) figurarum in quibusdam lapidibus.

Hunc

Hunc igitur in cenſum veniant omnes ii lapides, qui vel ſui generis figuram oſtendunt, vel etiam, ſi aliorum corporum formas imitantur, minus tamen perfecte id præſtant, ſed aut mole & extenſione, aut notis characteriſticis aliis deficiunt, ita ut e rebus, queis utcunque aſſimilantur, ortum traxiſſe, nullatenus probari queat. Patet vero ex his, ita loqui Virum Doctiſſimum, ut facili interpretationi locus eſſe, animusque Lectorum nulla prorſus ratione offendi poſſit; cum contra, qui hanc opinioni ſuæ formam induunt, ut, hos vel illos lapides incertæ originis eſſe, tota die clamitent, nihil dicant, quo eruditi orbis informationi atque deſiderio ſatisfieri poſſit, quandoquidem, hunc in modum de luſu naturæ loqui velle, nihil aliud eſt, quam ſuam ipſius confiteri ignorantiam. Neque etiam ignoramus, lapides Florentinos, in quibus figuræ arborum, plantarum, arcium, turrium quandoque Geometricæ conſpiciuntur, pro luſu naturæ habuiſſe de la Fay *in Hiſtoir. de l' Acad. Royal.*

des

des ſciences année 1717. Ubi tamen ſuſpicari pronum eſt, nihil aliud intendiſſe Virum Eruditiſſimum, quam ut iſtiusmodi lapides in claſſem incertam & anomalorum, quo nomine apud Celeberrimum & Doctiſſimum Anglum Luidium *in Lithophylacio* ſuo veniunt, translocaret. Nos quidem quod attinet, ingenue fatemur, nec tolerabile nobis fuiſſe, nec fere poſſibile, ut vocabulum hoc luſus naturæ lingua ſaltem, vel auribus, uſurparemus, hocque eo magis, quo recentiora quotidie eaque elegantiſſima de lapidibus figuratis proſtant exemplaria, quæ, quid olim fuerint, & unde ita extiterint, firmius ſubinde evincunt, ac de iis proinde, quæ caſu ſaltem ita contigiſſe leviores animi hactenus crediderunt, in ſummam Creatoris gloriam & naturæ ſplendorem ſolidam pariunt informationem, & erga alios quoque demonſtrationem. Conf. Sagaciſſimi D. *Caroli*, Medici Oeringenſis Celeberrimi docimaſia foſſilium, ubi *tales*, qui ita loquuntur, *revera luſus ludere & nihil præterea agere judicat.* Add. qui paſſim & ſolide de hoc argumento diſputat, *Britt-*

Büttnerus & inprimis, qui ab hoc allegatur, communi eruditorum calculo omni laude digniſſimus, Excellentiſſimus Dominus *Stahlius*. Et hæc hactenus de luſu naturæ ſatis ſuperque dicta eſſe arbitramur.

Neque vero 2dò multo facilius Lectori noſtrique Cimelii ſpectatori ſatisfieri poſſe cenſemus, ſi Clariſſ. *Rüdigeri*, Medicinæ Doctoris ſententiam adoptaverimus, quam in Phyſica ſua divina exprimit, omnesque ejusmodi lapides corpora eſſe intermedia ait inter lapides, plantas & animalia, quorum referant figuram.

Neque 3tiò, quando gratis ſane & ſine ullo fundamento aſſeritur, lapidum ejusmodi figuratorum formam ex cœleſtium corporum irradiationibus gigni, quam ſententiam præprimis fovit *Mich. Mercatus* in opere poſthumo, quod auctoritate & munificentia Clementis XI. Pont. Max. edidit & illuſtravit Joh. Mar. *Lanciſius*, Archiater Pontificius Anno 1717.

Neque 4tò ad Archæum quendam ſubterraneum hic confugiendū, ad quem, ceu ſpiritum univerſalem ſub terra opero-

roſum & ejusmodi ſpectacula protrudentem plures provocant ; ego vero neſcire me fateor, quid ex iſto Archæo exſculpere vel poſſim vel debeam, ac proinde, cum propiores de Cimelio meo cauſæ & minus fallax origo, in ſequentibus demonſtrandæ, mihi ſuppetant, nullam heic pro inſumta ejus opera gratiam me illi debere prorſus exiſtimo.

An 5tò, quæ a Celeberrimo Carolo Nic. *Langio* tantopere prædicatur, *aura ſeminalis* hoc opus produxerit & generaverit, ſaltem non e veſtibulo ſtatim ita rejiciendum videtur, quam allata hactenus & falſo ſic dicta lapidum figuratorum principia. Neque ego diffiteor, me ipſum ante duo, & quod excurrit, luſtra meum non omnino denegaſſe aſſenſum huic hypotheſi, ita tamen, ut ſemper dubiorum aliquid, vel multũ, mihi remanſerit. Non piget, integram auctoris ſententiam propriis ipſius verbis huc transſcribere, non quidem, de quo L. B. antea monitum volumus, in gratiam eorum, quibus hæc trita ſunt atque vulgaria, ſed illis tantum in ſubſidium, quibus vel cognitio rerum vel ſupellex libraria deeſſe poteſt, ita vero ille.

Hy-

Hypotheſis hæc eſt: Semen ſenſibile & formatum viventium marinorum, cum parvum ſit & leve, vel etiam inſenſibile & non formatum in partibus corporum demortuorum adhuc relictum, aut in ipſa mucedine partium jam putrefactarum ſuperſtes hinc inde mediante aëre, vaporibus & aqua levi negotio elevatur, & per apertos terræ poros diffunditur, in ſubterraneis vero partim mediante ipſo calore ſubterraneo, partim halitibus ab aqua ſubterranea, aliisque latentibus ſuccis fluoribusque excitatis, è mari aliisque locis, in quibus deliteſcit, attollitur, & per hiantes ſubterraneos terræ meatus, ſaxorum fiſſuras, ſtratorumque pervia foramina diſtribuitur, ita ut ſæpius tali modo ad extimam terræ ſuperficiem penetret, usquedum in aliquam congruam matricem intra terram, vel etiam in ejus ſuperficie exiſtentem incidat, cui ob innatum magnetismum intime unitur firmiterque adhæret, donec accedente calore ſubterraneo latens ſeminis vis plaſtica excitetur, materiamque fluidam proportionatam mediante ſpiritu lapidifico cum aura ſeminali quaſi identificato taliter ef-

formet, atque in tale corpus lapideum figat, quale in mari è materia teſtacea produxiſſet, duplici tamen diſcrimine; primo quidem, quod probabiliter in hac generatione lapidea, ſi requiſita materiæ quantitas adſit, brevi temporis ſpatio ab excitata latente aura ſeminali integra forma & corporis moles producatur, in accretione autem viventis naturali vis plaſtica ſucceſſive tantum procedat ob diverſa obſtacula, quæ copioſum nutritii ſucci fluxum impediunt, & tantum pedetentim admittunt, ne contentum animalculum obruatur. Secundo vero, quod in dicta corporum efformatione ſæpius etiam aliqua determinata tantum corporis viventis pars produci poſſit ſecundum determinatam ſeminis portionem, vel materiæ ipſius diſpoſitionem differentem, quod in viventibus non obſervatur, ob quam rationem hujusmodi imperfectis corporibus raro vel nunquam vita communicatur, quæ a completa præcipuorum viventis viſcerum ſtructura fluidaque quadam ſubſtantia vitali illa indeſinenter permeante dependet. Hactenus *Langius*. Ponamus autem

tem, majorem longe veri ſpeciem ſecum vehere hanc hypotheſin, quam quidem eſſe vel fieri poſſe re ipſa experimur, mihi tamen ad explicationem tabulæ meæ fiſſilis non omnino videtur neceſſaria, quippe quam

7. Pro vero petrefacto totus agnoſco, neque tamen pro tali, quod ad regnum vegetabile pertineat, licet plantæ aut flori, imprimis lit. A. multum ſit ſimile, hanc ipſam ob cauſam ab ejus primis reique nondum gnaris ſpectatoribus lapis Tulipæ (Tulipanen=Stein) dictum; uti & M. Joh. Georg. *Helwing* in Lithographia Angerburg. P. II. p. 117. Entrochos (ex meris Entrochis autem figuram noſtri lapidis conſiſtere, ſupra diximus, vid. ſi placet, Epiſt. noſtra) in regnum vegetabile locavit, & Coralliis foſſilibus, vulgo ad *Carang Bonga* Rumphii pertinentibus annumeravit, addita ratione, quod ob ſimilitudinem articulorũ in ſtella quadam marina, eorumq; ſibi invicem junctorũ ſeriem, Entrochi nil minus quam ex animalium claſſe ortum ſuum traxerint, cum ſimilitudo, NB. niſi tota ſtructura concordet, identitatẽ ſpecificam non conſtituat.

Ego vero perſuaſisſimus ſum, ſi VIRO optimo foſſile, quod ad manus habemus, & ubi tota ſane ſtructura quam maxime concordat, videre licuiſſet, regno animali, ad quod omni jure pertinet, nunquam illud detracturum fuiſſe, cui videlicet

8. Ipſe quoque *Langius* in Hiſtoria ſua lapidum figuratorum c. III. p. 64. ſeqq. Entrochos, Trochitas & Aſterias reſtituit, & hujusmodi lapillos probabiliter ad oſſicula ſtellarum marinarum reducendos eſſe cenſuit, inductus auctoritate doctisſimorum Virorum & de ſtudio rerum naturalium ſumme meritorum, Cl. *Luidii* & Celeb. *Liſteri*. Doctiſſimus *Mylius* in P. II. Memorabilium Saxoniæ ſubterraneæ, relationum III. p. 36. pariter Trochitas Entrochosque ad regnum animale refert, & inprimis pro extremitatibus quibusdam ſtellæ marinæ venditat, argumento tum a materiæ & ſubſtantiæ conformitate, quam cum animalibus marinis habeat, tum a loci ratione deſumto. Idem ſtatuit *Roſinus* in Tract. ſuo de ſtellis marinis, cui tamen ego, quod figuræ cuidam, quæ cum noſtra plane eadem eſt, nomen dedit *ſtellæ arboreſcentis*, calculum meum,

ſal-

ſaltem quoad hanc nomenclationem, adjicere non poſſum; ita vero ille eam deſcribit: Stellæ arboreſcentis pars inſignior arbuſculi ad inſtar, in quam plurimos ſe diffundens ramos hisque annexos multos alios ramuſculos. Specimen hocce rariſſimum, cum ramo quodam illius ſtellæ, quæ apud Rumphium titulum Capitis Meduſæ præfixum gerit (ſi laterales ramuli, qui confuſionis evitandæ gratia in figura hujus apud Rumphium omiſſi ſunt, eidem reſtituantur) ut ovum cum ovo accuratiſſime convenit.

Minori adhuc jure iſta figura, quam idem Vir Doctiſſimus p. 31. Tab. II. Claſſ. E. Nr. 1. æri inciſam nobis præſentavit, pro caudæ portione aliqua ſtellæ marinæ haberi poteſt, cum id, quod caudæ portionem eſſe exiſtimat, pars & ramus ipſius corporis, quod vero ſuperne pro parte corporis habet, nihil profecto aliud ſit, quam pedunculi monſtri hujus marini, quibus beſtia iſthæc, uti in deſcriptione Rumphiana extat, curſum ſuum peragit. Ignoſcat Vir Clariſſimus, quod pro ea libertate ab Eo diſſentio, quam Ipſe in fine

ſine Tractatus ſui curioſis quibuscunque concedere voluit, quando ita inquit: Etiam illud atque etiam mihi optandum videtur, ſi qui Viri docti plura de hujuscemodi ſtellis annotaverint, ut hæcce publicæ notitiæ diutius non ſubtrahere, ſed haud gravatim in communem evulgare vellent utilitatem.

Quandoquidem itaque ex allatis hactenus rationibus abunde hæc patent, & tota etiam hujus corporis, ſive figuræ, ſtructura machinam animalem exacte declarat, ſtabit, opinor, ſuperior mea, quam in literis ad Celeberr. *D. Scheuchzerum* expreſſi, ſententia, quando foſſile hoc pro integro monſtri illius marini corpore habui, quod rerum marinarum Scriptor laude ſua nunquam defraudandus *Caput Meduſæ* & ſpeciem quandam ſtellæ marinæ appellavit. Equidem ab initio ejusdem meæ epiſtolæ ad primum a *Rumphio* deſcriptum pertinere arbitrabar, cum tamen Celeb. & nunquam ſatis â me laudandus *D. Scheuchzerus* in ſuis ad me reſponſoriis aliter ſtatuerit, & ad Caput Meduſæ ſecundum magis pertinere credide-

diderit, ne hoc quidem diſplicere mihi poteſt, vid. Epiſt. Scheuchz.

Perſuaſiſſimus itaque ſum, fuiſſe illud quondam animal vivum, & in aquis domicilium ſuum habuiſſe, quamvis, in quonam præciſe mari vel lacu delituerit, determinare mihi haud liceat. Plurimas ejusmodi ſtellas marinas & Capita Meduſæ in mari Caſpio hodie adhuc reperiri, ex ſæpius citato Rumphii libro nobis innotuit, ubi ſimul, modum, quo animalia iſtiusmodi capiantur, ab Ipſo Ruſſorum Magno Imperatore narratum fuiſſe, refertur: Si ſcilicet baculus vel pertica in aquam ita immittatur, ut beſtiæ incumbat, tum illam ramos (takken) quaquaverſum circa baculum emittere eumq; tenaciſſime apprehendere, & hoc proinde artificio ex undis extrahi. Neq; tamen aſſerere ideo auſim, noſtrum ſpecifice petrefactum in Caſpio mari olim vixiſſe, cum in iſtis locis, ubi maria & flumina nunc conſpiciuntur, ante diluvium jam talia fuiſſe, colligi certo haud poſſit, neque etiam, ubi terra continens atq; habitabilis nunc deprehenditur, ante diluvium lacus at-

E que

que flumina abfuiſſe, tutò inferre liceat, cum horrenda illa, quæ per diluvium invecta fuit, omniumque oculis plus ſatis expoſita eſt, devaſtatio manifeſtè doceat, aquam, lacus & flumina ſitum ſuum cum terra, hancque viciſſim cum aqua commutaſſe. Si enim, ita graphice Cataclyſmum deſcribit Eruditiſſimus *Wedelius*, concipiamus vim aquarum, ſub gravioris ſaltem tempeſtatis inſultum particularem, quid de univerſi orbis tam diro Paroxyſmo cogitabimus, & poli utriusque συῤῥάξει graviſſima? Exhorreo, pergit idem, dum hæc cogito, cœlum terræ indixit bellum: globus terraqueus totus ſubmerſus, continuatis procellis: rugientes ventorum globi, rapidisſima nimborum volumina, ſumma exæſtuantium aquarum præcipitia, diriſſimi fluidorum aſſultus, montium & convallium fragoſi fremitus, diriſſimi mugitus barathrorum, horſum vorſum disjecta omnia, quam non, quæſo, vim exercuerint, vix concipi illud, vix ſatis efferri poteſt, nedum deſcribi. Ponamus autem, foſſile noſtrum per centena vel millena milliaria huc in Sueviam atque Wirtembergiam

giam fuiſſe transportatum, id ſane per horrendam illam aquarum colluviem haud difficulter fieri potuiſſe, perſuaſi ſumus atque adeo, cum Eruditorum nemo hactenus fuerit, qui tutiorem modum atque viam excogitaverit, qua corpora ejusmodi marina ad loca extreme a ſe invicem diſſita, ad ſummos etiam montes, & qui a mari longiſſime diſtant, fuerint delata, conſultiſſimum fore arbitramur, ſi in diluvio acquieſcamus, nec alias efformemus Chimæras, uti *Petrus Aſſaltus* Medicus Romanenſis fecit in notis ſuis ad *Mercati* Opus poſthumum ſupra allegatum, qui modum, quo ad ſummos & a mari remotiſſimos montes corpora marina deferantur, ita exponit: Quod fieri aliquando poſſit, ut aquæ paulatim montium viſcera pervadentes terram ſolvant motuque ſubruant, ex quo efficiatur, ut aqua terræ ruina compreſſa ſurſum pellatur, unaque ſecum magnam teſtaceorum aliorumque vim repentino motu abreptam avehat; imò &, terræ motu omnia ſubverti atque ima cum ſummis permiſceri facile aliquando potuiſſe, contendit, vid. Act. Erud. An. 1718. p. 52.

Quid vero opus eſt talibus figmentis, quæ non, niſi in otioſorum hominum cerebris locum inveniunt, & ſine omni, vel naturæ indicio, vel rationis ſpecie, dicuntur? Quid incerta comminiſcimur in argumento, ubi certitudo ante oculos nobis eſt? Quid alienis conjecturis nos paſcimus, cum quotidiana Experientia omnes per Diluvium Univerſale enatas in natura mutationes ita luculenter demonſtret, ut huic teſtimonio nihil objici vel contradici poſſit? Doleo equidem, ſententiam Diluvianorum in materia de lapidibus figuratis olim jam a Viris cætera Celeberr. & Doctiſſimis plures paſſam fuiſſe contradictiones; ſed & eo impenſius nunc lætor, quod non objectionibus tantum contra eam formatis ſuo jam tempore abunde ſatisfactum, ſed &, quod nulla planior methodus pro explicando hoc de lapidibus figuratis argumento a nullo unquam inveſtigari hactenus potuit, & experientia denique, quæ omnium rerum magiſtra eſt, illis ipſis, qui longo antea tempore ſponte cœcutire voluerunt, oculos adaperuit. Quid olim *Woodwardus*, Medicinæ in Collegio Greshamenſi Profeſ-

ſor

ſor Celeberrimus, cujus quidem opinionem multi eruditi, prioribus ſuis rejectis, amplectebantur, ab aliquibus tamen exprobrari ſibi paſſus fuit? nunc autem altum de hoc ſenſim ſenſimque videtur obtinere ſilentium. Nonne *Thomæ Burneti* Hypotheſis de diſſolutione terræ totali, temere uſurpatæ & effrænis libertatis nomine fuit onerata & monſtroſæ opinionis titulum geſſit, quæ, niſi principiis mature obex ponatur, multa ſecum trahere poſſit incommoda? (Burnets genommene Freyheit in der unumſchränckten Betrachtung der Erden und Annehmung ungeheurer Hypotheſium iſt immer ſchlimmer ausgeſchlagen; wie dann ſolche Mala, wann ihnen nicht ernſtlich gewehret wird/ je länger/ je ärger werden/ vid. Unſchuld. Nachr. An. 1716. p. 349. Quid, quod & manibus hujus Viri id adhuc in contumeliam dictum fuit, eum ſua telluris Theoria turbas paſſim excitaſſe (er habe durch ſeine Theoriam telluris und andere Schrifften hin und wieder lärmen gemacht) ib. An. 1715. p. 1150. quæ vero non dici tantum, aut ſecure in diem ſcribi, ſed & ſolide demonſtrari debuerant. Quid ſi autem peccaverit Bur-

netus, &, quod largiri forſan poſſumus, juſtos limites tranſilierit, tam acrem tamen & durioribus conceptam verbis cenſuram haudquaquam meruiſſe nobis videtur. Certe, qui integram ejus Theoriam attento atque ſedato animo perlegerit, non ſubtile tantum, ſed & apte cohærens ſibique conſtans ſyſtema ibi deprehendet, & pleraque omnia, quæ contra illud vel formari, vel ſuboriri ſponte poſſunt, dubia ex ipſo ſyſtemate ſolvi atque explicari poſſe agnoſcet. Cæterum, qui primam & antediluvianam telluris faciem pulcherrimo, ſplendidiſſimo, amœniſſimo ornatiſſimoque habitu e ſapientiſſimi Creatoris manibus prodiiſſe ſtatuit, nihil prorſus dicit, quam quod in æternam potentiſſimi hujus omnium rerum Auctoris laudem atque gloriam omni tempore prædicare fas eſt. Uti è contrario telluris, qualis nunc eſt, informis ſcilicet hujus quoad potiorem partem atque horridæ, ſine omni lege atque ordine diſpoſitæ conſideratio, & vel ſolus omnimodæ hujus confuſionis aſpectus ſerius præco eſſe poteſt ultricis DEI juſtitiæ, quæ adeo nihil intactum reliquit,

quit, ut non tantum omnis caro ſuper terram reptans, volatilis ſcilicet, jumenti, beſtiæ, reptilis & quicquid in ſicco erat, juxta Gen. VII. 22. ſed ipſi etiam piſces, & quorumcunque alias in aquis vita eſt, illam experiri neceſſum habuerint. Ut itaque mirari haud ſemel ſubierit, cum in Cl. Langio legerem, quod univerſa, quæ in aquis vivere poſſunt, diluvii plaga non tetigerit, utpote quæ terrena tantum mortificaverit, ideo quia DEUS terræ tantum maledixerat & cunctis animantibus in ea degentibus, in quibus ſpiraculum vitæ erat; quam opinionem auctoritate Divi Auguſtini ſtabilitum it Vir Cl in Orig. Lap. fig. p. 28. Quid enim, ut pauciſſima ſaltem pro univerſali hac plaga afferam, quid de fluctibus maris ex ipſo fundo abyſſi ſummo impetu proſilientibus erit dicendum? nonne ſatis hæc fuere ad pariendam in univerſo oceano omnimodam confuſionem? qua ipſa piſces in profundo maris deliteſcentes in tantam elevati fuere altitudinem, tamque procul a domeſtica ſua ſtatione depulſi, ut ſubſidentibus repente aquis non jam illis amplius illa ipſa oceani regio, ſed areola terræ pro ſitu ſuo fuerit adſignata, ac proinde, uti terrena per elementum aquæ, ita contrario plane modo aquatilia per elementum terræ ſuffocata fuerint atque punita, licet, horum mortem non æque univerſalem fuiſſe ac terrenorum, ultro largiamur.

Sed manum nunc de Tabula. Pauca habes, L. B. quæ ex occaſione inventi noſtri rariſſimi Tecum communicare, Tuasque cogitationes tentare non ſupervacuum fore duximus. Superſunt, quod facile agnoſcimus, quæſtiones non paucæ, quæ, quia

ad

ad præſentem argumenti noſtri elucidationem plurimum facere videntur, tangi a nobis atque in medium proferri quidem potuiſſent, a quibus vero, cum id neque ſcopi noſtri, neque laborum ratio ita ferat, ſponte abſtinere totamque rem ſaltem in compendio ſiſtere maluimus Neque ignoramus, de noſtra etiam domeſtica lapidum figuratorum ſupellectile, quæ vel in Ducali Cimeliarchio heic loci, vel in privatorum quorundam Muſeis aſſervatur, tot ac tanta poſſe narrari, ut, quod olim Mylius, Helvvigius & Volkmannus de ſua quiſque fecerunt patria, idem etiam de noſtra ſcribere & integrum de *Wirtembergia ſubterranea* volumen colligere, perquam eſſet facile. Cum autem rectiſſime monuerint Actorum Eruditorum Collectores, Cl. Volkmannum de ſua Sileſia non minus mereri bene, quam alios, qui ſuæ Patriæ ſimilem præſtiterunt operam, illud autem verendum eſſe, ne, ſi alii eadem induſtria pergant, ſæpius dicta recurrant, Act. 1721. p. 88. etiam hic terminos ponendos nobis eſſe duximus, de eo ſolummodo ſolliciti, ne Cimelium noſtrum ſine ulla præfatione vel commendatione in conſpectum Eruditorum prodiret.

Tu interim, L. B. laboribus noſtris fave, &, *ſi meliora his dicere noſti,*

Candidus imperti, ſi non, his utere mecum.

❧)o(❧


A
B
F. Stenglin. Sculps. Stuttgardiæ.